

rit incursum — Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Secundo — Septimo Kalendas Februarii — Pontificatus Nostri Anno Decimo Septimo."

"*Apographum istud excerptum, vigore Rescripti, a Libro III anni VII Pontificatus Pii PP. IX, concordat cum originale existente in Archivio Lateranense. In quorum fidem &c. — Ex Aedibus Datariae Apostolicae, Nono Kalendas Martii anno MDCCCLXXXVIII — CAROLUS SCOCLZI — Pro Custos Regestri Bullarum. — Al calce un sello que dice: "Regest. Literarum Apostolicarum."*

II

Acta ejecutoria de la Bula preinserta.

NOS Ergo Josephus Maria Diez de Sollano

Leonensis Antistes, omnia et singula quae in venerabilibus supra dictis Litteris Apostolicis continentur fidelissima cura ad exitum perducere, et executioni mandare toto animo cupientes, sequentia ordinamus ac decernimus.

I

Erigimus et Apostolica Auctoritate canonice institimus Queretarensis Sanctam Ecclesiam, Novamque Dioecesim in Mexicana ditione juxta tenorem et formam Apostolicarum Literarum de verbo ad ver-

bum supra relatarum, cum omnibus honoribus, juri-
bus ac privilegiis, quae caeterae Mexicanarum Pro-
vinciarum Ecclesiae Suffraganeae hactenus fruuntur
et de communi usu utuntur.

II

Singulae Paroeciae quae in tota Provincia de Que-
retaro, itemque in contermino de Sierra Gorda, Terri-
torio de Iturbide nuncupato, continentur; nempe us-
que ad eos terminos quibus Potosiensem, Leonensem,
Mechoacanensem Dioeceses tangit et non amplius, vi-
delicet: Santiago de Queretaro simulque la Divina
Pastora, Santa Ana, cui annexa est el Espiritu Santo,
San Sebastian, San Juan del Rio, Tequisquiapan,
Amealco, Cadereyta, Landa, Mineral del Doctor, To-
limán, Tolimanejo, Santa Rosa, San José Iturbide,
alias Casas Viejas, Xichú de Naturales, Xichú Mine-
ral, Pueblito, Escanela, San Pedro Agua tibia, alias
La Cañada, et Jalpan, cum suis Vicariis, populis, pa-
gis et caeteris annexis prout usque nunc existunt, nec-
non Misiones de Arnedo et de las Palmas, quae ad
Archidioecesim Mexicanam pertinebant, disjunctae
et in posterum dismembratae ex antiqua Dioecesi, et
ex his omnibus Nova Queretarensis Dioecesis consti-
tuenda: quae Dioecesis ex nunc rite et rate a Nobis
Apostolica Auctoritate fulti, separata, segregata ac
penitus libera sit, et ita in posterum permaneat, ab
antiqua Archidioecesi Mexicana et a jurisdictione
dioecesana illius Archiepiscopi, et subjecta omnino
juxta Sacrorum Canonum statuta, Illustrissimo D. D.
Bernardo Gárate Episcopo ad illam regendam cano-
nice electo, ejusque Successoribus.

III

Proinde, vi nostrae Apostolicae subdelegationis,
mandamus, ut Dioecesis Queretarensis ita constituta,

Ordinariae sui Praesulis et ipsius Successorum jurisdictioni, regimini, atque administrationi omnino subsit, una cum omnibus et singulis civitatibus, populis, oppidis, pagis, terris atque utriusque sexus incolis, unaque itidem cum quibusvis Ecclesiis, earumque Beneficiis, Monasteriis utriusque sexus, rebus, bonis, juribus, caeterisque demum annexis, absque ulla reservatione ex parte Mexicanae Archidioecesis.

IV

Sit autem in comperto declaratum, quod Queretarensis Dioecesis fines sunt, usque ad eos terminos quibus usque nunc a Mechoacanensi Ecclesia, Metropolitana Mexicana separata erat, et iisdem omnino limitibus, ex qua parte nunc etiam tanget Ecclesiam Leonensem, quae ex territorio Mechoacanensi desumpta est; itemque usque ad eos terminos quibus a Potosiensi Ecclesia separabatur Mexicana Archidioecesis, iisdemque omnino limitibus: quoad vero eam partem in qua nunc a Mexicana Archidioecesi segregatur, limites erunt Paroeciae ipsaemet antea expressae in numero secundo hujus Nostri Decreti, manentibus iisdem limitibus Parochiarum, quibus nunc ab aliis Paroeciis quae ad Mexicanum Archiepiscopatum pertinentes permanebunt; qui limites nunc erunt quibus separabuntur Archidioecesis Mexicana et Queretarensis Dioecesis. Salva semper anteriori regula, majoris claritatis gratia et ad omnes omnino tollendas quaestiones in posterum, prae laudatus Illustrissimus D. Episcopus Queretarensis mappam seu tabulam geographicam, quam citius exactissime efformandam curabit, in qua suis propriis nominibus, suisque limitibus descripta apparebunt omnes et singulae Paroeciae, Vicariae, oppida et pagi, tam in perimetro interiori, quam in exteriori, videlicet, Paroeciae ad Que-

retarenses pertinentes, quae limites Dioeceseos efformant, et Paroeciae quae ab ipsis tanguntur, pertinentes ad alias Dioeceses Queretarenses circumdantes.

V

Eadem autem Apostolica Auctoritate perpetuo erigimus Civitatem de Queretaro in civitatem Episcopalem, sub nuncupatione Sancti Jacobi Apostoli Majoris appellati.

VI

Porro Templum majus Parochiale, in eadem Civitate erectum, in Cathedralem sub eadem invocatione Sancti Jacobi Apostoli instituimus: eandem servando Parochialitatem, cum animarum fidelium cura.

VII

Praeterea, eadem Apostolica Auctoritate, in supradicta Ecclesia Queretarensi ad Cathedralem honorem erecta, Canonorum Capitulum supradictus Episcopus Queretarensis erigere queat: et Dignitates, et Canonatus, et Praebendas ac Portiones, aliaque Beneficia et Officia Ecclesiastica, quotquot et prout melius praefato Episcopo ejusque Successoribus expedire videatur, tam in civitate Queretarensi, quam per totam Dioecesim erigere et instituere valeat.

VIII

Itidem, tenore praesentium Litterarum erigimus, creamus et instituimus: Archidiaconatum, unica Dignitas quae post Pontificalem in eadem Ecclesia existat, qui curet et provideat quod Divina Officia, et alia quae ad verum Dei cultum pertinent, ea qua decet

honestate ac modestia rite et recte perficiantur; ad quem etiam pertinebit praesidentiam Capituli, et ea omnia jura et onera quae juxta Sacrorum Canonum praescripta, de jure vel de legitima consuetudine in Metropolitana Ecclesia Mechoacanensi ad primam Capituli Dignitatem spectant.

IX

Creamus etiam et instituimus sex Canonicatus cum suis Praebendis et dotationibus: quorum alter Poenitentiarius vel Magistralis sit, et alter Theologalis, cum suis respective annexis honoribus et oneribus; caeterae tandem quatuor de Gratia appellatae, pro totidem Ecclesiasticis idoneis viris, qui quotidie Divino Cultui ex more instituto inserviant, praescripto tamen concursu ad tramites Sacrorum Canonum, et Apostolicarum institutionum, quoad Poenitentiarum vel Magistralium et Theologalem vel Doctoralem Praebendas. Decernimus insuper, ut Canonici sic creati, cunctis honoribus, juribus, facultatibus, et praerogativis de *communi jure*, quibus Canonici Metropolitanus fruuntur, potiri debeant.

X

Ad Archidiaconalem autem et ad eos Canonicatus et Praebendas, neminem collationem beneficii accipere posse decernimus, nisi ad Sacrum Presbyteratus Ordinem sit promotum, quoniam ad eos quotidie Missam celebrare spectabit.

XI

Ordinamus insuper, ut in praecipuis festivitatibus primae et secundae clasis, tantum Praelatus, vel eo impedito Archidiaconus, Missas solemniores in Cathedrali Ecclesia celebrare queant: caeterique Canonici

stricta antiquitatis sequela in caeteris diebus Missam Solemnem cantare debeant.

XII

Eadem Apostolica Auctoritate statuimus, ut Parochus Sacrarii Ecclesiae Cathedralis post ultimum Canonicorum in Choro locum habere possit, necnon Episcopo cum illis ministrare et inservire teneatur.

XIII

Volumus etiam, ut sex Capellani instituatur, qui et Choro interesse et Altari in officiis Diaconatus et Subdiaconatus rite deservire, et caetera tum Capituli, tum Ecclesiae obire teneantur munia: quorum Prior Secretarii Capitularis, ac Secundus Magistri quoque Caeremoniarum, et Tertius etiam Magistri quoad Cantorum Capellani, Quartus vero Censoris quoque seu Punctatoris, eorum qui absque ulla causa canonica ex choralibus functionibus se abstineant, Quintus insuper, etiam Secundi Magistri Caeremoniarum, deinde Sextus Secundi quoque Punctatoris; reservatis eis praerogativis et gratiis, quibus aliorum ejusmodi Cathedralium Beneficiariorum seu Capellanorum coetus potiuntur.

XIV

Apostolica dicta Auctoritate perpetuo concedimus et indulgemus eidem Capitulo, veniam et facultatem conficiendi sibi Capitularia Statuta, Ordinationes et Decreta sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus et Tridentini praesertim Synodi praescriptis apprimae consentanea; quae tamen Queretarensis Praesulis judicio subeunda erunt, et non nisi post ejus approbationem roboratam legis vim obtinebunt.

XV

Praedicto Queretarensis Ecclesiae Capitulo, Apostolica Auctoritate perpetuo concedimus et indulgemus, ut omnes, Archidiaconus ac Canonici, ac Beneficarii seu Capellani, tam in dicta Cathedrali Ecclesia, quam extra eam, (dioecesanos tamen intra limites) quoties Capitulariter convenerint, indumenta et insignia choralia, quae communiter tum Canonicis, tum Beneficariis caeterarum Cathedralium Mexicanae ditionis usuvenerint, (exceptis privilegiis specialibus) libere et licite gestare et adhibere valeant.

XVI

Statuimus ut pro Episcopi Queretarensis residentiali habitatione, proque ejus Curia et Chancellaria, illi adjudicentur Aedes quae prope ipsam Cathedrallem et Parochialem Ecclesiam Sancti Jacobi reperiuntur, quaeque usque nunc, ad Parochi residentiam destinabantur, servata tamen ibidem ipso Parocho decente habitatione: dummodo tam earundem Aedium, quam Collegii quem ad Seminarium assignamus in numero sequenti, recuperationem et possessionem, modo quo Reverendissimo Episcopo expedire videatur, acquirere possit; sin autem, ejus arbitrio eligenda relinquimus aedificia quae prope Ecclesiam Congregationis Bmae. Mariae Virginis de Guadalupe reperiuntur, ad ipsam Congregationem de jure pertinentia.

XVII

Simili Auctoritate Apostolica praecipimus, ut Collegium quod sub invocatione Sancti Ignatii de Loyola et Sancti Francisci Xaverii, olim a Societate Jesu in hac civitate Queretarensi fundatum (nisi Episcopus

aliud satis idoneum aedificium ad id muneris sibi comparandum duxerit) in Seminarium Clericorum instituat, quod juxta canonicas formas et leges Concilii Tridentini praescriptas, observanter et accurate ab Episcopo Dioecesano omnimoda providentia libere gubernetur. Cui Collegio Seminario semel erecto, solvenda erit juxta Sancti Concilii Tridentini sancitum, ac juxta Sanctae Congregationis ejusdem interpretis decreta, ea portio beneficiorum caeterarumque piarum Institutionum, quae Reverendissimo Episcopo pro illius dotatione complenda satis videatur.

XVIII

Eadem Apostolica Auctoritate statuimus, ut Decimarum solutione singulis dioecesanis dotationibus satisfiat, sequenti forma: scilicet, singulae Decimarum ipsarum collectae unica communi massa primitus quoquo anno coacerventur, ac detractis prius expensis pro earum perceptione, et Sex partibus pro quolibet Centenario quae Fabricae Cathedralis Ecclesiae et Sacrarii quotannis tribuantur, quaeque in utriusque opportunos usus expendantur, deinde Medietas Decimarum in duas aequas partes divisa, una Episcopo, et altera Capitulo permanenter solvantur; et quae Capitulum contigerit in Septuaginta Tres portiones subdividatur, quarum Tredecim Archidiacono, et Decem unicuique ex sex Canonicis tradatur: altera vero Medietas Novem partes adhuc efficiet, ex quibus Tres Parochis Dioecesis, proportionali nimirum habita ratione Decimalium reddituum, quos ab unaquaque Paroecia in communem massam pervenisse Episcopo innotuerit: Altera autem cum Dimidia Fabricis et Sacrariis Ecclesiarum Parochialium, et itidem Aليا cum Dimidia Hospitalibus domibus aliisque piis institutis Dioecesis, Ecclesiasticae tamen Auctoritati

subjectis, Duae tandem Seminario Dioecesano, ac reliqua Una Beneficiariis seu Capellanis Cathedralis assignatur, quaeque item postremo in Quatuordecim aequales particulas subdividatur, ex quibus Tres Secretario Capitulari, et aliae Tres Magistro Canentium, necnon Duae Caeremoniarum Magistro, ac aliae Duae Punctatori, et Duae item Secundo Caeremoniarum Magistro, ac reliquae Duae Secundo Punctatori impartiantur. Cauto caeteroquin, ut quotannis efformetur Massa singulatim pro diebus et horis in Quotidianas Distributiones tribuenda iis qui Divinis Officiis rite diligenterque interfuerint; quae Distributiones juxta Sancti Concilii Tridentini et Metropolitanae Ecclesiae Mechoacanensis normam fieri omnino debent.

XIX

Quia vero in allocutione Sanctissimi Domini Nostri Papae habita in Consistorio die decima sexta Martii anni proxime elapsi, palam et expresse dixit: "Archiepiscopali vero Mechoacanae Ecclesiae (veluti suffraganeae) subjectae erunt Dioeceses Sancti Aloysii Potosiensis, et *Queretarensis*, Leonensis, et Zamoranae." Quod etiam perfecte congruit cum Litteris Apostolicis pro Illustrissimo D. Queretarensi Episcopo D. D. Bernardo Gárate, hinc abs ullo dubio in amanuensis lapsum reputantes, quod verbum *Mexicani* loco *Mechoacanensis* in supra relatis Litteris Apostolicis posuerit: Supradicta Apostolica Auctoritate, enuntiatam civitatem Episcopalem Queretarensis et Dioecesim in Suffraganeam Archiepiscopatus Mechoacanensis subjicimus perpetuo, cum omnibus quibusque juribus, honoribus, praerogativis, gratiis et indultis quae pariter caeterae Suffraganeae Ecclesiae Metropolitanarum in Mexicana ditione de jure

praeseferre, legitimoque in usu tueri solent, quae declaratio est de communi utriusque Archiepiscopi consensu.

XX

Sanctissimo Romano Pontifici et Apostolicae Sedi reservata manet plena et integra facultas, ipsam Dioecesim de Queretaro, iterum aptiusque circumscribendi, quando et quomodocumque visum fuerit in Domino magis expedire.

XXI

Insuper volumus et ordinamus, ut Acolythos, Organistas, Cantores, Perticarios, Oeconomos Fabricae et Hospitalis, Notarios Capituli, Caeremoniarum Magistros, Punctatores, Sacristas et Canicularium Ecclesiae Cathedralis, necnon omnes in decimarum collectione, et officinis inservientes, Capitulum libere eligere et removeat.

XXII

Praeterea ordinamus, ut Dignitates, Canonici et Praebendati dictae Cathedralis Queretarensis Ecclesiae teneantur residere vel inservire in ea per Novem menses uniuscujusque anni civilis, continuos vel interpolatos, ita tamen ut non amplius Nonaginta diebus quotannis vacatione gaudeant: alioquin tot quotidianas distributiones amittent, quot horis non interfuerint in Choro; absque praejudicio caeterarum aliarum poenarum a jure emanantium.

XXIII

Volumus insuper, et decernimus, ut Episcopus Queretarensis per se vel per alios Ecclesiasticos idoneos, omnia Collegia et Scholas sedulo visitet, et curet ut sana et orthodoxa doctrina in eis semper edoceatur.

XXIV

Item ordinamus, quod in Queretarensi Diocesi tot Beneficia cum cura vel sine cura animarum creentur et nominentur, quot ex quantitate reddituum vel fructuum Parochialium arbitrio et conscientia Episcopi dotari possint; ita ut supercrescentibus fructibus, crescat etiam Parochorum et Sacristarum caeterorumque Ministrorum copia dioecesanis Ecclesiis.

XXV

Item praecipimus, ut Officium divinum tam in Missis quam in Choro, fiat semper et dicatur secundum consuetudinem Mechoacanensis Metropolitanae Ecclesiae, et Missae quae solemniter celebrentur omnibus diebus, pro decimas Solventibus caeterisque Benefactoribus applicari debent.

XXVI

Cujuslibet autem mensis prima Lunae die, Missa pro animabus in Purgatorio existentibus solemniter dicatur, post horam Officii Primam, reliquis vero diebus Missa de Prima celebrari possit ad voluntatem et dispositionem cujuslibet personae volentis ipsam dotare.

XXVII

Item volumus et statuimus, ut consuetudines, ritus, moresque legitimos approbatos, tam Officiorum quam Missarum, aliarumque Caeremoniarum approbatarum Metropolitanae Mechoacanensis Ecclesiae, conservare teneantur Episcopus et Capitulum et Clerus in nova Queretarensi Ecclesia.

XXVIII

Tandem, dicta plenissima Apostolica Auctoritate qua fungimur in hac parte, et melioribus modo, via atque forma quibus possumus et de jure debemus, erigimus, creamus, instituimus et ordinamus ea omnia et singula quae in praedictis Apostolicis Litteris continentur; et declaramus Queretarensis Diocesis et Episcopatum rite et canonice erectum, cum omnibus et singulis ad id necessariis et opportunis, non obstantibus contrariis quibuscumque; et illis praecipue quae Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX in suis praefatis Litteris Apostolicis voluit non obstare: et intimamus omnibus et singulis, praesentibus et futuris, cujuscumque status, gradus, ordinis, praesentiae, et conditionis fuerint, ut ea omnia et singula quemadmodum a Nobis instituta sunt, observent, et observare faciant et satagant. — In quorum fidem, et testimonium, praesens publicum instrumentum manu nostra signatum et nostro sigillo munitum, ac per infrascriptum Secretarium nostrum subscriptum, publicare jussimus. Datum et actum in civitate Queretarensi anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo quarto, die vero septima idus Februarii. — JOSEPHUS MARIA A JESU, *Episcopus Leonensis*. — DR. PAULUS TORRES, *Secretarius*."

"Concuerta con su original, que obra en la Secretaria de la Diócesis.

Querétaro, Junio 1.º de 1864. — LIC MANUEL DE SORIA Y BEÑA. *Secretario*.

Un sello que dice: «Gobierno eclesiástico del Obispado de Querétaro».